

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Rector Universitatis Rostochiensis Joachimus Schnobelius, I.U.D. & Professor,  
Ad exequias Quae Foemina honestissima Catharinae Dunckers/ Coniugi  
desideratissimae a Marito Viduo ... Hinrico Schnitlern/ LL. Cand. Hodie ...  
parabuntur, Omnes omnium ordinum cives Academicos ... invitati**

Rostock: Typis Nicolai Kilii, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn807043370>

Druck    Freier  Zugang

Schnobel, J.,

in


**C. Duncker,**

uxor. H. Schnitler.

86

Rost. 1648.

LB FP Duncker, Catharina 1648






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn807043370/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn807043370/phys_0003)

DFG



RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
JOACHIMUS SCHNOBELIUS,



U. D. & Professor,

*Ad exequias,*

*Quæ*

*Feminæ honestissimæ*

CATHARINÆ

*Unckers /*

*Conjugi desideratissimæ*

*à Marito Viduo*

*Præstantissimo & Doctissimo*

DN. HINRICO Schnitlerii / LL. Cand.

*Hodie horâ primâ pomeridiana in templo*

*Mariano parabuntur,*

Omnes omnium ordinum cives Aca-

demicos officiosè & benevolè

*invitat:*

(O)S

ROSTOCHII,

*Typis NICOLAI KILI, Acad. Typographi.*

ANNO M. DC. XLVIII.

RECTOR  
Universitatis Rostochiensis  
JOACHIMUS SCHNOBELIUS,  
J. U. D. & Professor.

**N** multis juris nostri civilis articulis conditionem deteriorem esse fœminarum, quam masculorum, excelsi vir ingenii Papinianus alicubi testatur. Sed non jure solùm civili, verum etiam lege naturæ sexum hunc fragiliorem & calamitosiorem esse vel solum PARTUS periculum ostendit. Quamvis sanè fœcunditas dos quædam fœminarum sit præcipua, & in magnâ parte felicitatis ponatur, quam ipsæmet quoq; ductu naturæ votis omnibus exoptant; ipsum tamen pariendi opus exquisito cum dolore summus Naturæ opifex ob legis fuæ violationem conjunctum esse voluit, & tanto quidem, ut illud nonnullæ, masculi alias roboris, pejus quam ipsam mortem reformident. Nota est vox illa Medeæ apud Euripidem, quæ ter sub armis vitam cernere, ut Ennii verbis urar, quam semel modò parere maluit. Nec raro accidit, ut quod ad vitam

vitam propagandam & communicandam spectat;  
contra prægnantium & puerarum spem ac in-  
tentionem ipsis pariter ac infantibus in mortem &  
vitæ amissionem cedat. Hinc si verum est, quod  
Poëta quidam ait,

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,*  
certè de parturientibus hoc maximè est accipien-  
dum. Cæterū postquam divino beneficio & ope  
partu feliciter defunctæ sunt, & periculo superato  
quasi denuò in lucem venire ac vivere cæperunt,  
(juxta illud alterius Poëtæ,

*Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ)*  
de prole editâ, quasi de victoriâ partâ & ipsæ, teste  
scriptura sacra, sibi gaudent, & lætis gratulationi-  
bus aliorum excipiuntur. Sed ô gaudium illud mi-  
nus adhuc solidum! ô fragilem & nimis adhuc post  
vires dolore maximo fractas infidam valetudinem!  
Quàm multæ enim, cùm existimarentur pristino  
robori restitutæ, graviori morbo denuò correptæ  
aut subito quodam symptomate velut ex improvi-  
so & ex insidiis oppressæ vitam, quæ quasi redona-  
ta ipsis erat, nihilominus amiserunt? Quis igit-  
ur earum, uti gloriosissimus Imperator Justima-  
nus in famosâ quadam constitutione velut exclam-  
at, propter hoc periculum, quod & ante & post  
partum sustinere coguntur non misereatur?

A 2

Hanc

Hanc periculosam sexus sui sortem & miseratione dignam experiri quoq; quod fœmina & ad procreationem liberorum nata esset, coacta fuit honestissima civis nostra CATHARINA Dunckers DN.  
HINRICI Schnitlers L. L. Cand. eximii uxori intra puerperii dies fato suo functa, cujus exequiæ hodierno die tum aliis solennitatibus cohonestandæ, tum publico hoc programmate denunciandæ fuerunt. Procreata est piè defuncta hæc fœmina ab honestissimis in hac urbe Parentibus, Patre JOACHIMO Dunckern/ Cive probo & integerrimo; Matre ANNA Wendes/ fœmina laudatissima. Avum paternum habuit virum Reverendum & Clarissimum Dn. M. ANDEAM Dunckern Ecclesiæ Petrinæ per contimos 40 annos Pastorem quondam fidelissimum, & Rever. Ministerii Seniorem de Ecclesia Christi optimè meritum: Aviam paternam matronam piam & senili ætate decoratam ANNAM Vicken. Avus ei maternus fuit JOHANNES Wendt civis hujus urbis primari⁹ ac integerrimus, Avia materna ANNA Flemings/ neptis JOACHIMI Flemings/ Pastoris quondam in pago Lüßow prope Gastrovium per totos 44. annos vigilantissimi. Primum vitalem auram haurire cœpit Anno 1625. tri-duo ante festum Purificationis Mariæ eodemq; die sacro per lavacrū regenerationis Christo servatori

ri

ri suo oblata, & ad spem salutis ac felicitatis æternæ  
consecrata fuit. A tenerâ postmodum ætate ductu,  
monitis & exemplo piorum parentum, &c, cùm his  
voto citius ab hac luce subtractis orbata esset, pro-  
pinquorum curâ ad veram vitæ probitatem, pudi-  
citiam, verecundiam, & virtutes alias honestâ fœ-  
minâ dignas sedulò educta & adsuefacta est. Post-  
quam igitur piâ & honestâ vivendi consuetudine  
annos pueritiae transegisset, & iam moribus hone-  
stis conspicua adultam ætatem ageret, ac vicesi-  
mum annum ingressa esset, Vir prudentissimus Dn.  
**ADAMUS Borchart** Senator hujus Reipub. specta-  
tissim⁹ tum temporis molestiarū viu tori in senili  
& decrepita fermè ætate pertæsus eandem præ cæte-  
ris electam in societatem vitæ individuam sibi co-  
optavit, ac fatis annuentibus & propinquorum  
consensu Anno M. DC. XLIV. d. VI, Martij uxorem  
secundam duxit. Quod conjugium satis quidem  
concors placidum & lætum fuit, prole tamen nullâ  
procreatâ, post biennium & quinq; præter propter  
menses, per obitum mariti, qui Anno M. DC. XLVI.  
d. XXI. Augusti contigit, finem suum accepit. Con-  
jecta in ærumnas viduitatis, cùm iisdem diu ferendis  
imparem sese animadverteret, nuptias secun-  
das cum Viro-juvene Eximio & Doctissimo Dn.  
**H INR ICO Schnittern** LL. Cand. ubi decenter

ab ipso in matrimonium expetita esset, in exordio  
anni hujus adhuc labentis contraxit, quæ d. XIX. Ja-  
nuarii publica festivitate & omine, ut videbarur,  
non inauspicato sunt celebratæ. Lætum omnino  
conjugii huj⁹ fuit initium, &, quamdiu stetit, suavis-  
simus animorum consensu & ardore perpetuo bea-  
tum. Auxit benignissimus Jehovah hanc felicita-  
tem, dum *parvus* nostram non porrò infœcundam  
relinquere voluit, sed gravidæ factæ gratiam hanc  
dedit, ut die XXIX mensis Novembris felici partu  
filiolum JOHANNEM nuncupatum in lucem  
ediderit. Magno inde gaudio ipsa delibuta dulcis-  
simus Māritum hac prole velut certissimo amoris  
obside ac pignore arctius sibi devinxit. Sed lætitia  
& voluptate hac eadem divina voluntas Cathari-  
nam nostram non diu frui voluit, utpote cuius im-  
moto & immutabili decreto die Mercurii præce-  
dentis septimanæ circa idem tempus, quo ante dies  
quatuordecim filiolum enixa puerpera ac mater  
facta erat, præsentibus amicis & Dn. Medico  
**D. STEPHANO SCHULTE TO** Med. in  
hac Academia Professore, Collega nostro dilecto  
plena fidei & sanctissimæ devotionis pia placidaq;;  
morte Christo Servatori suo animam, quam ipsius  
beneficio in corporis ergastulo 23, annos & 8. men-  
ses habuerat, reddidit. Quantum tristitia ac mæro-  
da


ris hic obitus repentinus & præmaturus Marito  
attulerit, non facile verbis licet exprimere, quippe  
cum tanto major soleat esse tristitia, quæ volupta-  
tem sequitur, quanto majori dulcedine nos hæc af-  
fecit, quanto ægrius ejus usu carere nos posse senti-  
mus. Miserum est Conjugem, cum qua consortium  
omnis vitæ pronuper contractum erat, ingenio &  
moribus similem, modestam & obsequiosam à la-  
tere nostro avelli: longè miserius eodem hoc casu  
inter matrem jam recens factam & infantem à par-  
tu adhuc rubentem ejusq; opis maximè indigum  
fieri discidium. Superstes huic casui Maritus num  
magis lugeat uxorem defunctam, an miseretur in-  
fantis flebilem fortunam, est incertum. Eò desi-  
derium tam cari capit is amissi, huc præsen tenelli  
infantuli calamitas lac & ubera materna, quibus  
vix adsuetus erat, frustra poscentis trahit. Larga lu-  
gendi quidem & tristandi causa & materia, modò  
luctu hoc quidquam proficeretur, & lacrymæ non  
in cassum funderentur. Quia verò nec illi, quam  
desideras, nec tibi, mœstissime Marite, ulla ratione  
prodesse potest dolor immodicus, noli longum es-  
se, quod est irritum. Eleganter Seneca: *Diutius accu-  
sare fata possumus, mutare non possumus; stant dura  
E inexorabilia: nemo illa convicio, nemo fletu, nemo cau-  
sa moveat: nihil unquam parcunt ulli, nec remittunt. Pro-  
inde*

inde parcamus lacrymis nibil proficentibus. Et in eodem  
libro paullò post: *Quid fata deflemus? non reliquit*  
*illa te, sed antecessit, & quidem eò, ubi gaudium semel*  
*cœptum spe nostra longè majus, & nullo unquam*  
*mœrore potest contaminari.* Ad quod cùm piis stu-  
diis omnes contendamus, illi, quæ metam hanc fe-  
licitatis est adepta, eandem invidere impium foret.  
Moderari verò dolori, & ita vivere, ut quocunq;  
momento sit sequendum, arbiter ille supremus vi-  
tæ & necis ad piam emigrationem in procinctu q.  
stantes & paratos nos inveniat, Pietati Christianæ  
maximè est consentaneum. Ad quam cogitatio-  
nem ut vos quoq;; omnium ordinum Cives Acade-  
mici hac occasione exluscitemini, & exequiæ à mœ-  
stissimo viduo, cive Academicō paratæ in solarium  
ejus, ita ut pareat, cohonestentur, frequentes, quod  
sedulò rogo, in templū Marianū confluite, exuvias  
pié defunctæ fœminæ terræ matri ibidem mandan-  
das comitamini, & inter eundum vitæ hujus brevi-  
tatem fugacitatem ac miseriam ad accendendum  
æternæ desiderium vobiscum perpendite ac rumi-  
nate. P. P. Rostochij die XII X. Decemb.

Anno M. DC. XLHX.


6(0)9











the scale towards document

s repentinus & præmaturus Marito  
non facile verbis licet exprimere, quippe  
major soleat esse tristitia, quæ volupta-  
r, quanto majori dulcedine nos hæc af-  
ægrius ejus usu carerè nos posse senti-  
m est Conjugem, cum qua consortium  
pronuper contractum erat, ingenio &  
stile, modestam & obsequiosam à la-  
velli: longè miserius eodem hoc casu  
n jam recens factam & infantem à par-  
tentem ejusq; opis maximè indigum  
m. Superstes huic casui Maritus num  
uxorem defunctam, an miseretur in-  
em fortunam, est incertum. Eò desi-  
cari capitis amissi, huc præsenstenelli  
amitas lac & ubera materna, quibus  
erat, frustra poscentis trahit. Larga lu-  
m & tristandi causa & materia, modo  
idquam proficeretur, & lacrymæ non  
nderentur. Quia vero nec illi, quam  
c tibi, mœstissime Marite, ulla ratione  
est dolor immodicus, noli longum es-  
titum. Eleganter Seneca: *Diutius accu-  
mus, mutare non possumus; stant dura-  
ria: nemo illa convicio, nemo fletu, nemo cau-  
il unquam parvunt ulli, nec remittunt. Pro-  
inde*